IN OBITVM SERENISS.MÆ REGINÆ POLONORVM
Ode
PAGANINI GAVDENTII IN GYMNASIO PISANO
Eloquentię profeſſoris.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE

FLORENTIÆ
Ex Officina Petri Neſtij ſub Signo Solis. MDCXXXI.
Superiorum Permiſſu.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

SERENISSIMAE
MARIÆ MAGDALENÆ
ARCHIDVCI AVSTRIAE,
Magni Ducis Etruriȩ Matri.

P*ar eſt, vt te lugente, quotquot in Etruria viuimus, lacrymas fundamus. quibus enim publicè perpetuò præſtas lætitiam, quando priuatim doles ob immaturum Sororis, Heroinæ nō interituris laudibus digniſſimæ, obitum, in ſocietatem luctus veniamus neceſſe eſt. At ſane mihi fuit nefas non triſtari, quando ob recens beneficium ſum obſtrictus Cum enim nuper ad te deduxerem præſtantem Medicum, &*

Mathematicum Rotgerum Emſingium, rogaremque, vt tuo iuſſu reciperetur inter eos, qui medicinam faciunt in celeberrimo Xenodochio, quod eſt ad D. Mariæ Nouæ, & honorifico aluntur ſtipendio, tu illico precibus annuiſti. quapropter me plurimum debere tuæ benignitati fateor, & quando, dum hæc vrbs ad triſtitiam ob mortem Reginæ Polonorum componitur, odem conſcripſi, eam ſub tuo inclyto nomine in publicam lucem profero.

Dabam Florentiæ Prid. Cal. Septembr. MDCXXXI.

IN OBITVM

SERENISS.MÆ REGINÆ POLONORVM

DVm, Sarmatarũ Viſtula lacrymis
Augetur vdis, dumque nouiſſimo
Plauſtro Bootæ iuncta tellus
Funereum ſtruit apparatum;

Mœrentem ad Arnum nos quoq; flebiles,
Ferale munus, ſollicitant modi:
Induta pullam Flora veſtem
Reſpuit æthereum colorem.

Te triſte telo, quod properè obruit
REGINA, fatum luctibus inclytam
Etruriam replet, pioq;
Pectore lætitiam repellit.

Quem

Quem non timoris concutiat ſtupor?
Quis iam reponat mortis imaginem?
Quando per orbem fama narrat,
Quod potuit Dea funerari.

Nam quis Dearum te neget è choro?
Cœleſte nomen quis tibi deterat?
Quas priſca mirabatur ætas
Tu poteras ſuperare cunctas.

Iactetur illis ſi genus à Ioue,
Quem Creta tandem ſed modico lare
Eſt paſſa regem, quando natus
Depulit imperio parentem:

Te ſanguis altus, te domus AVSTRIAE
Dias in auras germen olympicum,
Quando aſtra naſcenti fauebant,
Protulit auſpicijs ſecundis.

Pars Creta mundi quantula dicitur?
Vtrumque ſtatus ſed colit AVSTRIOS,
Quà ſol ab Indis ſurgit, & quà
Fulget in occiduo cubili.

Di-

Dicenda forti ſemper Iberiæ
Hæc eſt Nepotum gloria CAROLE,
Quæ nullius latè imperantis
Sceptrigeras decorauit artes.

Sed ſtirpis ingens quid tibi profuit
REGINA fulgor? ſeu fera manu
Te furua talem tunc ramum
Arbore ab AVSTRIACA reuulſit.

An magna Virtus non potuit tibi
Donaſſe longum ſtamen? en inhorruit
Inuicta Gens, cum tres puellæ
Aurea diſſoluêre fila.

Vt vota ſoluunt efferæ, dum vident
Somno obuolutam perpetuo, an iacet,
Quæ bellicoſo longum in æuum
Digna fuit populo intereſſe?

Vt te Trionum magnanimam gelu
Vidit, Gradiuus cum fremeret, ciens
Ciuile bellum, quando Erynnis
Intulit horribilem tumultum.

Dum

Dum Rex in hoſtem duceret agmina,
Fractumq; Moſchum pelleret arcibus,
Vtrumq; tollens palmam olympo,
Auxilium facile aduocabat.

Creuere Thraces ſanguine flumina,
Cum plena ſacri iam ſibi Regiam
Sponderet Oſmannus, ſupremo
Cruc ſoluendam exitiũ daturus.

Greſſus profanos ſed rubit, illico
Præceps vocabat quò timor & fames.
Sic tot cateruis trux in auras
Impetus æolios obiuit.

Olim hæc fuerunt: ſepta nunc manes.
Nunc integrandum carmẽ, vt horridus
Veſpillo REGINAM dolendo
Exanimem impoſuit feretro.

953809